

www.e-rara.ch

**Fasciculus Juris Publici Ex Labyrintho Canonico, Legali, Feudali Et S. R.
I. Viridariis**

Hermes, Hermann

Salisburgi, An. M.DC.LXXIV

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-68014>

Caput X. De coronatione caesarea.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

quentiam *juxt. Capit. Ferd. a. 14. III.* Status non tenentur ad subsidium, si Imperator sine ipsis bellum contra Capitulationem suscepit. IV. Si enormitas facti ita exigat Imperator deponi potest, *argt. l. qui fidem de Transact. Reinck. de reg. sac. lib. 1. clas. 2. c. 2. n. 85.* Nec obstat quod de his in Capitulatione nulla fiat mentio. Resp. tacitè comprehendi, & vi contractus inesse; sicut enim Imp. non fuisset admittus ad Imperium, dicens se eas Capitulationes non servaturum, ita idem dicendum, si postquam promisit, mutarâ suâ mente eas non servet. *l. si quis 41. C. de Transact.* Quia autem lex erubescit castigatores patrum filios constituere. *No. 22. c. 2.* Imperator autem subditos nepo-

tes & filios habet, ideo EE. hos effectus & penas contraventionis Capitulationi expressè inferere noluerunt. *Lim. in proleg. Capit. sect. 10. n. 8.* Demum quæ Capitulationes Electo Regi & Imp. ab EE. proponi soleant & propositæ sint, Carol. V. Ferdin. I. Maximil. II. Rudolpho II. Ferdin. II. & III. ostendit editis ad easdem annotamentis *Limnæi specialis tractatus. Schutz. vol. 1. disp. 4. per tot. Reinck. de reg. sac. clas. 3. c. 9.* ad quos amata brevitatæ gratiâ cupidus lector remittitur. Cum quibus in substantialibus conveniunt Capitul. Ferdin. IV. August. sub dat. 2. Junij Anno 1653. & noviss. Imp. Leopoldi Francofurti Anno 1658.



CAPUT X. De Coronatione Cæsarea.

SUMMARIÆ.

- | | |
|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <p>1. Coronatio sequitur Electionem.</p> <p>2. Coronatio Pape qualis?</p> <p>3. Coronatio an. sit de necessitate?</p> <p>4. Coronationis locus pro electo Imperatore.</p> <p>5. Electi in discordia locis diversis.</p> <p>6. Coronandi jus cui competat Aquisgranini?</p> <p>7. Coronatio aliquando Moguntino comperit.</p> <p>8. Consecratio à quo fiat; non multùm interest.</p> <p>9. Coloniensis E. si non sit consecratus, quis Imp. consecret?</p> | <p>10. Coloniensis & Moguntini controversia circa Coronationem.</p> <p>11. Jura pro E. Moguntino facientia.</p> <p>12. Jura pro Electore Colon: militantia.</p> <p>13. Transactio circa jus consecrandi.</p> <p>14. Juramentum an. ante consecrationem rectè exigatur?</p> <p>15. Post juramentum prestitum, cur prius de fide prestanda interrogentur?</p> <p>16. Jurandi forma.</p> <p>17. Consecrationis ceremonie in specie de Unctione etiam olim in veteri Lege solita.</p> <p>18. Gallia</p> |
|-----------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|---------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

18. Gallia Rex inungitur oleo.
 19. Henricus IV. unctus oleo S. Martini.
 20. Anglia Regis unctio.
 21. Diaconi more cur Imperator vestitur?
 22. Colonia Comites in Cathedrali etiam minores etate cantant Epistolam.
 23. Sigismundus Imper. cantat Evangelium.
 24. Cur Diaconali veste induto Imperatori gladius traditur?
 25. Annulus quid denotet?
 26. Sceptrum quid significet?
 27. Corona quid?
 28. Corona duplex aperta & clausa.
 29. Corona an ferrea sit?
 30. Coronatio Imp. triplex.
 31. Romanus Rex & Imp. diversa.
 32. Coronationem consequentes actus, acclamationes, convivium, & sparsio missilium &c.
 33. EE. officium in mensa.
 34. Electoris absentis officium quis exerceat.
 35. Resignatio Imperialis.
 36. Suecica Regine resignatio.

Electioni factæ accedit, eamque consequitur Inauguratio seu Consecratio, quæ est congeries aliqua actuum solennium; & Unctione, Insignium traditione, & Juramenti depositione perficitur, ut autoritas Electo cumuletur, & persona omnibus nota & sacra fiat. † Sic & Pontifex electus coronari solet, & ante Coronationem dici solet congregatio Cardinalium, postea Consistorium, dicitur tamen Papa assumptus etiam ante consecrationem, *Chock. in procem. Reg. Cancell. n. 4. arg. c. 1. dist. 23.* & electus statim administrat. *c. licet. de Elect.* & nocte electus Papa statim signat supplicas. Sicut autem Papa administrat etiam ante consecrationem, ita idem procedit in Imperatore. *Burg. lib. 2. p. 83.* nam Papæ, & Imperatoris fastigia non magnitudine, sed materia differunt à solo D E O, utrique credita, *c. si Imperator. ubi gloss. dict. 96. c. duo sunt eadem. c. quoniam dist. 10. Burg. d.*

loco. quòd autem Episcopi non consequantur Jurisdictionem sine Confirmatione, nec ea, quæ sunt Ordinis sine Consecratione, *t. t. X. de confirm. c. nostri. X. de Elect.* id fit quia dependent in spiritualibus à Papa, in temporalibus à Cæsare, ideo à suis superioribus potestatem consequuntur, ut autem Papa ita & Cæsares omnem potestatem habent à D E O, nec proinde etiam obstat quòd tutor confirmandus sit, *tit. de conf. tut.* sed Imperator est tutor Ecclesiæ *c. venerabilis. de Elect.* & ut ante, Tutores alijs subesse non verò Imperatorem, confirmans enim in confirmandū exercet actum Imperij, quod in Imp. nemo habet, *Burg. lib. 3. pag. 156.*

QUÆST. I. An Coronatio sit de necessitate Electi Imperatoris?

R. Cum post electionem mediante commissione per EE. fiendâ ipso Jure plenum administrandi jus & dignitatem Imperialem consequatur Electus, *ut sup. d. ex A. B. c. 2. §. Et quia.* & statim nomen Regis obtineat ante coro-

nationem, *Arum. ad A. B. disc. 2. concl.* 20. omnia possit, quæ Imperator ut legitimare &c. *Forster. lib. 6. de suc. ab int. c. 34. n. 29.* Sequitur, quod coronatio subsequens tantum sit solennitas accidentalis: Et licet olim triplex Coronatio recepta fuerit, I. Aquisgrani, II. Modetiæ in ducatu Mediolanensi, III. Romæ à Pontifice, præ alijs tamen hodie Germanica frequentatur, posteriores autem à longo tempore omisæ fuere: Rudolphus enim I. Italiam nunquam vidit, nec Maximil. I. nec Rudolph. II. Matthias, Ferd. III. aliam quam Germanicam Coronationem suscepit, quam maximè exigit A. B. c. 28. §. *fin. Capitul. Carol. V. a. 3. Ferdin. II. a. 37. Ferdin. III. a. 39. Ferdin. IV. a. 37. Leopold. a. 37.*

4 QUÆST. II. *Quid de Coronationis loco?*

Resp. ex A. B. præscript. in c. 28. §. sancimus. Expedienda est Aquisgrani ob memoriã & iussum Carol. M. Hiac cum Carol. V. moneretur, ut alium locum suæ coronationi præfigeret ob grassantem aliquam Aquisgrani pestem, renuit, dicens se non posse temerè A. B. & legem majorum mutare. Et hinc itaque Caroli M. filius Ludovicus Pius inaugurari voluit, quod à subsequq; Imp. usque ad Carol. V. religiosè observatum fuit. Licet alij velint Archiepiscopum Colon. pro suo arbitrio posse quemcunque locum suæ provinciæ Coronationi præfigere ex privilegio Rüpert. Imp. Sed quantum huic tribuerit Carol. V. ex dictis patet, *add. Lim. de jure pub. lib. 2. c. 4. n. 7. pri-*

HERMES FASC. JUR. PUB.

vilegia namque cum incommodo tertij concedi non debent, incommodum autem ex hoc arbitrio accederet Civitati Aquisgrani & alijs; Quamvis Frid. III. Carol. IV. & Rupertus Dux Bavarix Bonnæ coronatus legatur, alij Francofurti Anno 1575. Alii Ratisbonæ, ut Rudolph. II. Ferdin. III. Augustæ, ut Ferd. IV. An. 1654. 18. Aug. & novissimè Francofurti Inviçitiss. Leopoldus An. 1658. † Electis in discordia Ludovico Bavaro, & Friderico Austriaco; hic non nisi 30. comitatus equitibus properavit cum Electore Coloniensi, & Rudolpho Palatino Aquisgranum occupaturus solium Caroli M. sed certioratus urbem teneri præsidii inimicorum Bonnæ substitit, ibi à Coloniensi Electore diademate cinctus; Ludovicus autem cum conjugè Aquisgrani coronatus est, longè ante A. B. S. Stephanus V. Papa An. 818. Ludovicum Cæsarem Rhemis consecravit.

QUÆST. III. *Cuius coronandi com- petat Aquisgrani?*

Cum Aquisgranum sit sub Archiepiscopi Coloniensi, ideo indubitatè ibidem coronatio expedienda est ab Archiepiscopo Colon. tanquam loci Ordinario. *ex A. B. c. 4. §. primò quidem. Chaf. in catal. gl. mund. p. 5. cons. 27.* Prout Gallix Regem Archiepiscopus Remensis, Hispanum Tolosanus, Anglum Cantuariensis, Hungarù Strigoniensis, Bohemum Pragensis, Polonium Gnesnensis, Danum Ludensis, Suecum Lipsonenis, Neapolitanum Neapolitanus, & Siculum Panormitanus, Archiepiscopi inungere & conse-

S

crare

7 crare solent, *Buxtorf. aff. 46.* † Ac licet antiquitus in Imp. Romano Jus hoc Moguntino competierit, cumque in coronatione Ottonis I. Trevirensis & Colonienfis eam dignitatem usurpare vellent, præ Moguntino Adelberro, tamen non modò tunc, sed etiam postea Moguntini Archiepiscopi manserunt in Jure coronandi: Sic Otto II. à Wilhelmo Moguntino Præsule, Otto III. à Willigiso, Henricus II. ab eodem, Conradus II. ab Arifone; omnibus Moguntinis Archiepiscopis coronati fuere; uti etiam Pipinum Regem Francorum manu S. Bonifacij Archiepisc. Moguntini in civitate Sueffionis cum regina Petradene An. 752. unctum fuisse ex annalibus antiquis allegavit Eminentiss. Elect. Moguntinus Jo. Philippus in supplica S. Cæs. Maj. An. 1653. exhibita. Ubi addit, licet Henricus III. Aquisgrani à Colon. Archiepiscopo Peregrino consecratus sit, id tamen non Jure proprio, sed cum consensu Moguntini ob respectum loci & diocesis, factum contendit. Prout & Rudolph. Bavarus contra Henricum IV. Moguntia consecratus à Sigefrido Moguntinensi teste Mariano *Scot. annal. lib. 3.* qui eo tempore vixit. Postquam tamen Henricus III. per Arch. Colon. ipse consecratus, & filium suum Henricum IV. coronari fecit per Hermannum Colon: ut & Fridericus I. per Arnoldum, Henricus VI. per Philippum, Philippus per Adolphum, Otto IV. per eundem, Rudolphus I. per Sifridum, Adolphus per eundem, Albertus per Wichboldum, Henricus VII. per Hen-

ricum & Carol. IV. vivo Ludovico per Walderamum, coque mortuo, per Gerlacum omnes Archiepisc. EE. Colon: uncti fuere, sic paulatim longâ & usque ad A. B. continuatâ consuetudine Jus hoc Electori Colon. acquisitum, & per A. B. confirmatum, postque eam continuatum est in Wenceslao, qui per Fridericum, Ruperto qui per eundem, Sigismundo, Alberto II. Frider. III. qui per Theodoricum, Maximil. I. qui per Henricum, Carol. V. qui per Hermannum, Ferdin. I. qui per Henricum, omnes Archiepiscopos Colonienfes consecrati fuere. *Buxt. ad A. B. concl. 48.* † Licet in legitime Electo parum interesse putet Burgund. 1. pag. 14. à quo Consecrationem accipiat: Ante verò A. B. Hildebeldus Colon: Archiepiscopus tempore Caroli M. jus & officium Regis Romani coronandi accepit, *P. Cromb. de 3. Regib. lib. 3. c. 31. § 50. pag. 804.* quod Leo IX. Eugenius III. Adrianus & Alexander III. Papæ confirmârunt, Innocentius vero III. Adolphum Coloniensem monuit, ut jus suum tueretur contra Philippum Ducem Sueviæ à Tarantasiensi Episcopo consecratum Moguntia cum assensu Capituli Moguntini.

QUÆST. IV. *Quid si autem E. Colon. Infulis vel Pallio decoratus non sit, an & tunc Consecrationem ac Coronationem perficere poterit, aut à quo ea facienda est?*

Hic casus in Ferdin. Bavaro E. Col. evenit, prout & Salentinus Isenburgicus E. Colon. Pallio caruit, & resignato dein Archiepiscopatu nuptias contraxit.

traxit. *Buxtonf. ad A. B. c. 4. aff. 48. V. Bertrachinum, in tract. de Episc. c. fin. t.*
 13. Id in tali casu non infulato Electori negandum, sed faciet isto impedimento durante E. Moguntinus. Prius probatur, quia Electus Archiepiscopus, etsi confirmatus sit, tamen ea, quæ sunt Ordinis, ante consecrationem exercere nequit. *c. pallium. dist. 110. c. quod sicut.*
 18. X. de Elect. *Gregor. Tolos. lib. 15. Synag. c. 11.* Consecrare autem vel ungere est ordinis Episcopalis, *gl. in c. quoniam dist. 110.* Sic Maximil. I. per Danielem Mogunt. E. 3. Novemb. Anno 1562. consecratus, quòd Colon. Arch. Pallio careret. Rudolphum idem Daniel An. 1575. Augustæ coronavit. Item Ferdin. III. per Anselm. Casimirum E. Mog. cooperante Colon. & Trevirense 13. Julij consecratus est, *Buxt. af. 48.* Prout etiam An. 1630. cum nec Anselmus Casimirus Mog. nec Ferdin. Colon. Archiepiscopi essent consecrati, Coronationem Augustæ Eleonoræ Philippus Christophorus Trevirensis Archiepisc. peregit, *Tolos. lib. 11. Sym. c. 11.*
 † Gravior inter Mogunt. & Colon. Archiepiscopos utrumque consecratum comitiis Ratisbonensibus in Coronatione Ferdin. IV. orta est controversia, scil.

QUEST. V. Cui hoc jus coronationis competat, si coronatio non Aquisgrani sed extra diocesin Colon. facienda sit, fortè in diocesi Moguntina vel alio loco Imperij per Germaniam?

Super qua questione ex parte Emin. Arch. Moguntini Ratisbonæ Cæsareæ

Majestati exhibita est supplica. 8. Julij Anno 1653. in qua latè Jus Ecclesiæ Moguntinæ deductum est; Cui postea opposita est ex parte Sereniss. E. Colon. brevis informatio, cur Elect. Colonienfi præ Moguntino actus Coronationis Imperialis de Jure competat, Archiepiscopus quidem Moguntinus in possessorio manent⁹ est cum protestatione ac reservat. sed punctus principalis indecisus mansit. † Pro Moguntino E. allegata fuerunt sequentia: I. Exempla antiquissima, de quib. *sup. sub q. 3.* II. Quòd E. Moguntinus ex A. B. sit Archi-Cancellarius per universam Germaniam. III. Quòd Henric. III. Aquisgrani à Colon. consecratus sit; id factum fuerit non Jure proprio, sed cum consensu Moguntini ægrè ad hoc impetrato teste Lambert. Schanaburgensi Monach. Hirsfeldensi, qui vixit Anno 1077. his verbis: Imperatoris filius coronatus est in Regem Aquisgrani ab Hermanno Colon. Archiep. vix & ægrè super hoc impetrato consensu Ludolphi Archiepiscopi, ad quem propter primatum Moguntinæ Sedis, Consecratio Regis & reliqua negociorum regni dispositio potissimum pertinebat. Hæc ille. Unde inferebatur: Si ad eum E. M. Jure proprio pertinuit, datus consensus ultra suam causam & locum ex natura causatorum porrigi non potest. IV. Dux Rudolphus Suevus contra Henricum IV. electus à Sifrido Moguntino in Regem consecratus legitur apud Marian. Scot. *ann. lib. 3.* qui tunc vixit. V. cum post obitum Lotharij II. Cæsaris Carol. III.

electus esset, licet Coronatio Aquisgrani fieret, & Coloniensis Elector præfens ac sacerdos esset: tamen Moguntinus Coloniensi non permisit, sed quia Moguntinus ipse perficere non poterat, Legato Apostolico Theodowino eam concesserit. VI. Cui accedit exemplum Ludov. Bavari & Friderici Austriaci Anno 1314. ante A. B. etiam per E. Mog. coronatorum &c. † Pro Elect. Colon. militans & allata sunt seqq. fundamenta: I. quod A. B. Carol. IV. Anno 1356. erecta, a. 4. in Electione & Coronatione Reg. Rom. cuius Electori certas prærogativas & inter cæteras Moguntino convocationem ad Electionem & collectionem votorum, deinde Trevirensi E. primum votum, Coloniensi verò Archiepiscopo dignitatem, nec non officium Rom. Regi primum diadema imponendi attribuat, ut etiam March. Brandeb. quod in celebratione Imperialis Curie, aquam lavandis manibus Imp. vel Regi ministret, primum potum Rex Bohemie porrigat, Saxo Marschalli officium exerceat. II. Quod hæc prærogativa offibus EE. adherent, nec dicta Bulla ad certum locum eas restringat. *d. c. 4. §. 3. ibi: cui competit*, ut proinde sicut textus A. B. sine limitatione restrict. aut distinctione loquitur; ita nec nostrum sit limit. restring. aut distinguere. *vul. l. de pretio. ff. de publ. act.* Et si intentio fuisset, hoc Jus ad provinciam Coloniensem restringere, facile verbulo hoc in A. B. exprimi potuisset, cum intentio Carolina fuerit cuique Electori suas sessio-

nes & functiones ad omnes lites præscindendas assignare. III. Quod mutato loco Elect. & Coronationis cæteris EE. tam Ecclesiasticis quam Sæcularibus Jura ex A. B. competentia salva maneant; Cur non eodem modo Coloniensi sive Aquisgrani sive alibi Coronatio expediatur, cum omnino inconveniens videatur huic uni & soli mutato Coronationis loco suam functionem impediri, & aliorum Jura per omnia illata manere; Et sicut convenit, ut in A. B. Elector Moguntinus etiam extra dioces. Moguntinam in Collegio Electorali primam sessionem habeat, vota colligat &c. Et alij suam functionem ubivis locorum exerceant, ita nec in Colon. E. erit indecens, ut Consecrationem non tantum in sua Archidiocesi, sed ubique exerceat. Prout IV. E. Trevirensis sua reservata Jura ubique exerceat, & primum dar votum, sive in Germania sive Gallia, sive Italia fieret electio. V. Accedit, quod secundum Histor. & Politicos Colon. Elector tempore Henrici III. Anno 1039. & ita 300. annis ante A. B. Coronationem Regis Rom. fecerit, Moguntinus autem tantum in casu quo Coloniensis non erat infultus, *juxta Buxi. & alios.* VI. Quod Moguntinus nullum actum Coronationis suæ allegare possit, quem præferat, quando Colon. præfens ac qualificatus fuit, quo casu absentie vel inqualificationis facile Coronatio Moguntino præ Trevirensi E. concedi potest. VII. Sicut autem ex actu Trevirensis E. coronando Ann. 1630. Eleonoram Impe-

Imperatricem, quia tum tam E. Moguntiam Col. Insulâ carebant, nullum Jus natum est, ita nec Moguntinus ex ejusmodi actibus aliquid prætere valescat. Et ita Colon. non tantum Aquigrani & in sua diœcesi, verum etiam in aliis Imperij urbibus, ubicunque coronatio peragenda est, Jus hoc competere sensit Lim. de l. publ. l. 2. c. 4. n. 10. post Cifner. in orat. de Otton. III. & Mantenesium lib. 3. de Elect. Frid. III. pag. 98. & alios, quos citat Petr. de Andlo. lib. 2. c. 6. p. 73. Colonienſi Coronationem cis Alpes tribuit Schütz, vol. 1. disp. 2. Th. 20. dicit spectare ad Colon. tanquam Vicarium Imp. per Italiam. In hac gravi controversia meum exiguum judicium suspendo, donec vel decisione Cæsareâ vel amicabile compositione, interventu S. R. I. Procerum ac Statuum definiatur, prout provisionaliter hac de re aliquid resolutum videtur vel concordatum.

- 13) Prout jam concordatum est ut coronatio in diœcesi Colonienſi ad Colonienſem Archiepiscopum spectet, in Moguntina ad Moguntinum, extra utramque verò ab utroque alternativè peragatur, de qua transactione Sprenger. in Jurisp. publ. pag. 182. & seq. Sicque in Coronatione Invicissimissimi Imperatoris LEOPOLDI solemniter missam celebravit Elector Colonienſis, & Cæsarem unxit, coronam verò tres EE. Ecclesiastici simul imposuerunt ejus capiti. Pastor. act. publ. p. 2. pag. 55. not. Montzamb. p. 365.

- 14) QUÆST. VI. An ante Coronationem rectè Jusjur. exigatur ab Imp. in-

terrogante E. Colon. & istis verbis respondente Imp. Volo, & in quantum divino suffultus auxilio valsero, omnia premissa fideliter adimplebo, sic me Deus adjuvet. ut refertur in not. ad Petr. de Andlo c. 6. in proces. coron. quod Juramentum etiam Coronatione perfectâ repetitur?

Affirm. Sic enim de Anastasij promissione factâ suprad. & refert Reinck. de reg. sac. lib. 1. clas. 3. c. 9. n. 7. prout nec ulla gens unquam fuit, quæ non Regem suum ad tutelam Regni jurejurando in inauguratione adegerit: Sic in Hisp. & Gallia Rex inaugurandus primò jurat, deinde Status ei fidem præstant, idem de aliis ostendit Reinck. d. loc. n. 22. Non obſt. quod Jure nostro non sit major Juramenti vis quàm nudi pacti, l. Stichum. 95. §. naturalis. de solut. l. non solum. §. injuriarum. in fin. de Jurej. ad quid ergo jurat Princeps, cum ex pacto etiam Jurato non nascatur actio ad implendum, vel etiam contra violantem. R. quicquid sit Jur. Civili, de J. Canonico majorem ejus vim esse, palam est ex c. 1. 21. q. 1. c. cum contingat. X. de Jurej. c. debitores. Eod. Sixtin. de regal. c. 5. n. 105. adeoque impia & detestanda vox est, cujuscumque ea sit, Pueros nuciibus, viros Juramenti fallendos, nec melioribus notæ ista: Si violandum Jus, regni causâ violandum. II. Quòd Deus non faciat differentiam inter simplicem loquelam & Juramentum. c. Juramenti. 22. q. 5. Geil. 2. obs. 95. n. ult. Cujac. 22. obs. n. 7. adeoque sufficiat simplex Principis promissio.

no. Resp. Illud efficacius obligare.
 Resp. II. Deum non facere differen-
 tiam ex parte suâ sive nudè asserat, si-
 ve juret. III. Quod Principis nudum
 verbum multorum instar testium esse
 debeat, *c. cum à nobis. X. de Testib.*
Mysf. 5. obs. 34. n. 1. Resp. abundan-
 tem Juramenti cautelam non nocere,
facit. l. testament. C. de Testam. l. non so-
lent. de R. I. Inst. At Jaramentum non
 auget obligationem, *l. fin. C. de non*
num. pec. Resp. non augere extensivè
 sed intensivè, ut stipulatio auget pa-
 ctum. *Duar. ad l. 1. de pact. princ. l.*
de V. O.

15 **QUÆST. VII.** *Cur post Inj. ab Im-*
peratore: Electo prius præstitum,
tunc demum postea Principes in-
terrogantur, an fidem & obsequi-
um Electo præstare velint?

Resp. inde colligi & insinuari, quòd
 Rex prius obligetur Regno, & deinde
 ipsi subditi. *juxta vulg. getrewer Herr*
 16 *getrewer Knecht.*

QUÆST. VIII. *Quâ formâ juratur?*

Resp. Id ex A. B. sup. insinuatum, li-
 cèt apud alios aliæ sint jurandi formu-
 læ receptæ, de Carinth. Ungar. &c. *V.*
Lim. ad cap. Carol. V. a. 30. p. 313.

Ceremonias in consecratione
 adhiberi solitas refert Freher. *in not.*
ad Petr. de Andlo. lib. 2. c. 6. pag.

17 *mibi 168. est*

QUÆST. IX. *An necessario adhibea-*
tur unctio cur & in qua parte cor-
poris?

Hanc de essentia esse tradit *Lim. de I.*
p. lib. 2. c. 4. n. 12. Et olim quidem un-
 gebantur Reges oleo in capite, ut Papa

Chrismate, nunc autem Unctio Regum
 ad brachium translata est, *c. un. de Sacr.*
Unct. quia in brachio sive humero
 vel armo principatus congruè desi-
 gnatur, juxta illud Esaiæ: *Factus est*
principatus super humerum ejus. Sum-
 fitque originem unctio ex veteri te-
 stamento, ubi non solum ungebatur
 Sacerdos sed etiam Rex ex præcepto
 Dei. Sic Samuel Saulem Regem un-
 xit, *1. Reg. 9. in fin. Petr. de Andlo lib.*
2. c. 6. unde uncti Domini appellatio
 nata. Sic David à viris Judæ *2. Reg. 2.*
 Salomon à Nathan, *3. Reg. 1.* Reges
 inuncti fuère. Sic *3. Reg. 19.* Deus
 præcepit Eliæ, ut ungeret Reges. *c. 1.*
§. 4. X. de sac. unct. At dices: nec Jo-
 sue, nec Gedeon, nec Samson supremi
 Judices, & velut Imperatores populi
 Judaici inuncti sunt, *re. satis est,* quòd
 postea uncti fuerint David, Salomon
 &c. Nec Melchides, nec Sylvester aut
 alius sacerdos Constantinum M. un-
 xisse legitur, seqq. tamen temporibus
 non fuit neglectum, & notanter cum
 Coronatione Ludovici Bavari etiam
 Augusta coronata fuit, quæ brevi post
 peperit filium, qui Ludovicus Roma-
 nus dictus est, *Burgund. hist. Bav. lib. 2.*
pag. 106.

Prout & Reges Galliæ Remis cor- 18
 nandi ab Episcopo unguuntur Chrisma-
 te, quod S. Remigio Regem Clodo-
 vaeum baptizante (cum Clericus à po-
 pulo interceptus ad fontem ferre ne-
 quiret) columba nive candidior cum
 anapulla attulit, & baptizatus est Rex
 cum 3000. militibus, moxque colum-
 ba disparuit. Obiit S. Remigius An-

no 545. Clodovæus autem ab eo conversus origine Germanus fuit, cui Baptizato hæc verba dixit S. Remigius:

Miris depone colla Sicambri.

19 *Bucell. in annal. Germ. pag. 22.* † Quo oleo Reges Franciæ hæctenus inuncti fuerunt excepto Henrico IV. qui, cum urbe Remensi vi hostium excluderetur, nec oleum S. Remigij habere posset, inunctus fuit Carnuti oleo S. Martini ab illius loci Episcopo Ann. 1594. 27. Februar. præsentibus è Regio sanguine tot Principibus, quot per bella interesse poterant. Dicta autem ampulla S. Remigij hoc dicitur habere mirum, quòd, quando Reges sunt consecrandi, plena existat, & postea pedetentim minuatur, eo passu quo Reges ad mortem properant, quam Ludov. XI. morbis gravissimis afflictus ad se deferri iussit, ut inde cognosceret ex copia vel inopia liquoris, an morti propinquus esset vel non: Alterum autem oleum S. Martini asservatur in Marmorstier canobio ordinis S. Benedicti, ubi 600. Monachi sub uno Abbate vivunt, quòd à S. Martino ædificatum & indies multis redditibus auctum fuit, ita ut inter Galliæ nobiliora præemineat. Oleum ab Angelo hæc occasione allatum dicitur, S. Martinus loci præses, cum solitus esset adultæ ætate nocte in sacello quodam Ecclesiæ edictiori preces ad Deum fundere, Diabolus ut eum descendentem affligeret, in gradibus saxeis, pisa posuit, qui precibus finitis nil insidiarum metuens, pisorum rotunda mobilitate gradu ex-cussus casu graviter afflictus fuit, ut pe-

dum officio uti non posset, quem ja-centem in solo, & humana ope destitutum, angelus cælo demissus, oleo secum allato perunxit, & quod in ampulla supererat ei tradidit. Quo modo Martinus restitutus, Sodalibus rem totam enarravit, & ampullam cultûs ac recordationis gratiâ in Ecclesia collocavit, quæ non ostenditur hodie nisi cum magna devotione & osculo; Janua ubi repositum est olei vasculum, hanc habet inscriptionem:

*Angelus Ampullâ Martini sancia
membra*

*Unxit, & Henricus Maximus o-
men habet.*

Et non procul ab ampullæ reposito-
rio hi leguntur versus:

*Hoc Mariæ titulis adscribitur, hujus
in ade*

*Martini ampullam tot peperisse
bona,*

*Hocque decus referunt Carnutes, quod
fuit olim*

*Remorum ampulla, nostra quod
ante tulit.*

*Abram. Gorniz. in itinerario testis ocu-
latus. pag. 268.* Quævis de veritate
eorum dubitet Linn. in annotam. ad
*Cap. Carol. V. a. 3. v. Empfahen/n. 35.
pag. 325.* † Qui autem Gallis fidem
tribuit, injurius est, si non credat An-
gliæ Regem unctum fuisse oleo cœle-
sti, quod B. Virgo Maria tradiderit
Episcopo Cantuariensi S. Thomæ tunc
exuli, prædicens, qui Reges hoc oleo
ungerentur, eos fore clementes, huma-
nos & conservatores Jurium Ecclesiæ.

Ac licet Reges Romani oleo miraculoso non ungantur, nil tamen per hoc illis decedit, nec Rex Galliarum ideo de aliqua prerogativa gloriari potest, quod solus præ aliis oleo cœlesti ungitur; Si enim inde aliqua resultaret prerogativa, quis non diceret Anglum Gallo præferendum esse? Eo quod oleum Galliarum Columba vel Angelus, Angliarum verò ipsa B. Virgo Maria attulerit, quæ supra omnes Angelorum choros exaltata est: Oleum Galliarum non ad inaugurationem Regis missum est, sed ad alios usus baptismi & medicaminis; postea ab usu destinato ad inaugurationem regiam sine ullo monitu divino propria autoritate translatum, quod an licuerit ipsi viderint, Angliarum verò oleum ad inungendum Regem datum dicitur. *V. Lim. d. loc.*

21 **QUÆST. X. Cur inaugurandus Imp. Diaconi more vestitur?**

Cum hæc vestis nota & signum sit qualitatis Ecclesiasticæ, Imperator autem variarum Ecclesiarum Canonicis adscribi solet: Et I. quidem Aquigrani, uti in specie Carol. & Maxim. I. qui à Canonicis post Coronationem receptus præstitit ipsis Juramentum super sanguine & reliquiis S. Stephani Protom. & loco in choro accepto dedit statuta & vinum admissionis dari solitum, habetque ibidem Imp. duos Vicarios, qui locum ejus suppleant in Ecclesia. Idem de Ecclesia Colon. & Bambergensi ex instituto Imp. Henrici V. Nec non in Ecclesia S. Petri Romæ & D. Joan. *Lim. ad Capit. Carol. a. 30. n. 62. pag. 330.* Prout etiam Rex

Galliarum in diversis Ecclesiis Canonicus est, quas recenset *Limn. n. 67.* Alij hoc ita extendunt, ut dicant Imp. Subdiaconatus ordinem habere, quibus contradicit *Duar. de rat. divers. off. c. 8.* Scitur enim uxoratos à sacris ordinibus qualis est Subdiaconatus arceri. *c. fin. de temp. ord. junct. c. 4. & 5. de Convers. Conjug.* multi autem Imp. electi fuerunt & consecrati jam conjugati, ad hæc in sacris ordinibus constituti matrimonium contrahere prohibentur. Constat autem, plures Imp. post Consecrationem matrimonium contraxisse. Licet hoc cum *Duar.* concedatur, quod Subdiaconi officium subire possit Imperator, de quo consecratur, à Papa expediendo munia subdiaconalia, & calicem parando, sine ordine tamen Subdiaconatus. † Pro- 22
ut sæpè vidi & audiui in Ecclesia Metropolitana Coloniensi ad summum altare inter missarum solennia illustres Canonicos ætate minores 8. vel novem ann. nullo Subdiaconatus ordine insignitos, in habitu Subdiaconali ministrare, & Epistolam cantare. † Sic refert *Castald. in tract. de Imp. q. 29. n. 4. Arong. 2. Instit. moral. lib. 10. c. 5. in fin.* Imperatorem veste subdiaconi indutum servire Papæ maximè in die Nativitatis Domini si Romæ sit, & quod nocte Natalis in Matutinis cantet septimam lectionem, *Exiit Edictum à Cæsare &c.* Idque Carol. V. fecisse Basileæ & Sigismundum Constantiæ, ut & *Frider. III.* Qui cum inter vestiendum moneretur à Magistro cæremoniarum, ut transversam stolam & pluviale ad finistram

finistram apertum acciperet, respondit: Non faciam, sed utrumque à collo ad pectus inducens conversus ad magistrum, Sic, inquit, sum solitus. Suadente idem eodem, ut post Evangelium cantatum ad pedem Papæ osculandum ascenderet, *Lim. de I. p. lib. 2. c. 4. n. 44.* Hoc etiam, ait, minimè, verbo Germanico. Manè verò partem Eucharistiæ Pontifex post communionem Cæsari dedit, *Lim. in ann. 2. 30. n. 49.* Hæc autem ab Imp. fieri solent, ut insinuet, Curam religionis sibi primam ut Principi esse debere, *Reinck. de reg. sac. lib. 3. clas. 1. c. 1.* prout initio urbis Romæ conditæ etiam sacrificiorum & sacrorum curam Rex sustinuit, Numa religione populum devinxit, effecitque, ut fides & jusjurandum melius quàm legum pœnarumque metus regeret. *Tacitus. 3. ann. unde urbem citius sine solo quàm sine religione constitui, aut constitutam servari posse notavit Lipsius in lib. adversus Dialogistas.* eò quòd homo sine religione sit velut equus infranis, eo deterior, quò natura contumacior & ad vitia proclivior.

24. QUÆST. XI. *Cur diaconali more vestito Cæsari & non Pallio exornato ensis traditur?*

Ut denotetur, Cæsaream majestatem non solum LL. justitiæ decoratam, sed etiam religione armatam esse debere. † Gladius autem potius quàm aliud quicquam traditur, quia hic est insigne summæ potestatis & imperij, quod per gladium definitur à Jureconsulto. *l. 3. de jurid.* unde Saxo in *HERMES FASC. JUR. PUB.*

ronatione Wilhelmi dixisse fertur; Accipe enses regium, ut rebelles severâ correptione potenter affligas, omnesque benevolos in tranquilla pace gubernes.

QUÆST. XII. *Quid Annulus denotet?* 26

Resp. Ad significandum in Coronatione Imperatorem desponderi Imperio, ejusque usus etiam esse solet in Coronatione Regum Galliæ. Sic olim Marchiones annulo carbunculis, Comites annulo adamante ornato investiebantur.

QUÆST. XIII. *Quid Sceptrum?* 27

¶. Hoc apud omnes gentes regniæ dignitatis signum est; & adhuc Galliæ Reges duplici sceptro utuntur, quorum unum lilia habet in summitate ad insignia regia spectans, alterum cum pollice & duobus digitis fidei fortè symbolum exhibet, Gallis manus justitiæ vocatur, quod posterius Carol. IV. Imp. in Ecclesia S. Dionysij videns, cum eidem ornamenta monstrarentur & affirmaretur, manum ex unicornu factam, respondit Imp. non potuisse ex aptiore materiâ manum justitiæ effingi, quæ pura omnisque veneni expers esse debet, *Lim. 2. de I. p. c. 4. n. 24.* Sic Assuero Regi sceptri usum fuisse, patet ex historia Sacra.

QUÆST. XIV. *Quid de Corona?*

Et hujus usus apud præscos Reges frequentissimus. 2. *Sam. 12. v. 30.* Sic Reges Tyrrenorum usi fuerunt coronâ aureâ, sellâ eburneâ & sceptro in summitate aquilam habente, *Gars. de Exp. c. 4. n. 53.* Papa utitur tiara ex auro

eum triplici corona, quòd Asia, Africa & Europæ caput sit, vel quòd potestatem habeat in cælo, terra & sub terra. Rex Franciæ utitur coronâ clausâ aureâ in forma dimidiatæ sphæræ, ornata margaritis pretiosissimis, & hinc inde exaltata liliis, ejus auctor dicitur Carolus VIII. cujus statuam Burdigalæ habitu Imperiali orbem tenentem manibus & corona clausâ coronatam videre licet:

29 † Similiter apertâ coronâ Reges Hispani: uti solent, Romanorum verò duplex est Corona, una clausa, quam Imperialem vocant, ad differentiam alterius apertæ, quæ vocatur Corona regalis. *Lim. de l. pub. lib. 2. c. 4. n. 15.* † Et licet nonnulli coronam ferream dicant, quâ inauguratur Aquisgrani, *Chass. in Cat. gl. mund. p. 5. conf. 27.* idèò autem ferrea vocatur, quia laminam quandam habet ferream in sublimitate, aliàs nec ferrea est nec argentea, sed ex puro auro facta, sic tamen ut in ea veterum laudabilis parcitas satis appareat. *Freher. in not. ad Pet. de Andl. c. 6. pag. mibi 165.* De Rudolpho autem II. traditur, quòd sibi fieri curavit coronam ex auro & pretiosissimis orientalibus adamantibus ornata, quæ unius millionis aureorum pretio æstimetur & Viennæ custodiatur. Corona tamen Regis Galliæ pretio longè ut & pondere coronam Imperialem superat, diciturque valere centies & undecies mille & octingentos ac quadraginta Coronatos; Et ne nimium isto pondere rex diu in capite suo gravetur, in actibus inaugurationis, aliam quoque coronam ad manus habet Archiepiscopus, quæ sub-

latâ alterâ regio capiti imponatur. *Lim. ad Capit. Carol. V. a. 33. n. 61.* Viennæ in aula Cæsaris dicitur esse corona à Rudolpho II. facta, in qua gemma ad magnitudinem uvæ mosellanæ 30. millia florenorum valens, tota autem corona aliquot centum millibus æstimatur. Turcarum autem Regis corona æstimatur à nonnullis quinque centenis ducatorum millibus, & Smaragdus ingens in eadem octuaginta millibus ducatorum.

QUEST. XV. *Quotuplex ergo sit Coronatio?* 31

Resp. duplex, una Regia, altera Imperialis, utriusque meminit A. B. c. 28. *fin. Capit. Ferd. IV. a. 37.* ubi se obligat ad Coronam Regiam & Imperialem. *Facit Rec. Imp. Wormat. Anno 1521. §.* *Unde als wir /i* quæ ut d. differunt, quòd Corona Regalis aperta sit, sed Imperialis clausa, prout etiam Reges Daniæ & Bohemiæ utuntur coronâ apertâ, cum sint vasalli Imperij, Clausâ verò soli Imperatori in Imperio competit, quamvis hodie etiam alij eam usurpent non solum in capite portando, sed etiam insigniis adjiciendo, ut de Reg. Gall. & Hisp. d. nam & Alphonsus VIII. regnotum Hispanicorum dominus nomen Imperatoris assumpsisse legitur, unde Toletum nomine civitatis Imperialis extulit. † In Imperio autem nostro quoad Electum considerandi sunt duo gradus; unus, in quantum est Rex promovendus in Imperatorem, unde sæpius ista phrasis legitur, Rex Rom. in Imperatorem sive Cæsarem promovendus. A. B. c. 1. §. 19.

§ 21. c. 2. §. 1. 2. 3. c. 18. c. 28. §. 5. Si enim idem esset Rex Rom. & Imper. ad quid diversa nomina? *l. si idem. C. de Codicill.* Et licet quandoque Imper. cum Rege conjungatur, *A. B. c. 7. §. 3. §. c. 5. §. fin.* inde tamen non sequitur, quod Rex Rom. & Imper. idem sint, nam omnis quidem Imperator Rom. Rex est, non tamen contra omnis Rom. Rex est Imperator, majus enim in se continet minus, non contra: Sic in 20. decem infunt, non contra. *l. 1. §. 4. de V. O.* actui inest iter, *princ. l. de servit.* non tamen contra itineri etiam inest actus; Sic omnis princeps nobilis est, non versa vice omnis nobilis princeps, prout id ipsum Stephanus Poloniae Rex demonstravit, ad tollendam pravam consuetudinem nobilium Polonorum, qui certâ pecuniâ cadaveri imposito ab homicidij pænâ se eximebant, quam cum sine periculo gravis seditionis legibus latis abrogare non posset, ipse Rex nobilem homicidam supplicio affici iussit, pecuniâ ejus cadaveri etiam impositâ, innuens, quod Nobilibus licet, etiam Regi, qui nobilitate omnes excellit, licere; & hoc modo pravam consuetudinem temporis successu abolavit.

93 QUÆST. XVI. *Qui actus consequantur coronationem perfectam?*

I. Salutatio & gratulatio coronantis Archiepiscopi, qui suo & Co-Electorum nomine Imperatori in throno Cæsareo adhuc sedenti felix Imperij auspiciam precatur. II. Eo prævio in eodem throno sedens equites auratos creant Gladio Caroli M. qui manu An-

geli ipsi traditus dicitur in Bulla Martini Papæ de Anno 1400. pridie nonas Octobris, quæ est de translatione reliquiarum Norimb. III. deinde cum pompa ex templo reducit. IV. Succedunt populi acclamationes. V. Jactus missilium, sparsio nummorum aureorum & argenteorum, quod olim etiam in festivitate Rom. Consulium observatum fuit. *Nov. 103. de Consul. c. 2. Dd. ad §. hoc amplius. de P. D.* VI. Conviviorum solennis apparatus, quod etiam antiquitus apud alias gentes observatum; sic describitur convivium Davidis, quod in ejus inauguratione triduo habitum fuit, *1. Paral. 12.* idque cum universo populo, cujus numerus censebatur triginta quatuor millia, *822.* Et Salomonis in dedicatione templi Hierosolomitani, *1. Paral. 16.* De Adonia Davidis filio, *3. Reg. c. 1.* Convivium magnificum Assuæri extat, *Ester. 1. cap.* quas festivitates veteres Hilarias dicebant. Idem in usu fuit apud Persas. *Plin. lib. 14. c. 15.* Convivia Imperialia & Regia describit Majol. *dier. canic. part. 2. coll. 5. p. 396.* quæ latius prosequi instituti ratio non admittit.

QUÆST. XVII. *Quid incumbit ex officio EE.*

Resp. in ista celebratione Curia & mensæ Imperialis Ecclesiastici EE. stantes ante mensam ei benedicunt, aliâque ad Dei cultum pertinentia curant. Bohem. Rex primum potum Electo ministrat vinum aquâ dilutum, quem tamen sub corona regali, nisi sponte velit, ministrare non cogitur: si autem velit procedendo, sedendo vel stando

coronam regiam gestare, id ei licet. Non tamen dicendum, quod voluit Castald. *de Imp. q. 8. n. 21. v. 5.* quod pro sua libera voluntate Bohemus potum ministraret, ad id autem de necessitate non teneatur, *quã de re infra de Elect. Boh.* Bavarus primum cibum mensæ regię apportat, & quidem partem ex affato bove, reliquias autem per tres dies affati bovis unã cum culinã à plebe discerpuatur. Saxonie dux Mareschalli officium exhibet, & avenæ inequitat: Brandenburgicus aquam & manutergium subministrat: Palatinus Rheni seu Archithesaurarius pecuniam, aurum & argentum in vulgus spargit. *l. 4. §. fin. & o. 25. A. B. Freher. de orig. Palat. lib. 1. s. 15.* quibus peractis ad suam quisque EE. mensam contidet, & regio prandio excipiuntur, de quibus tamen singulis suo loco.

35 **QUÆST. XVIII.** *Sed quid si E. aliquem absentem esse contingat, ut factum absente Saxone & Brandeb. in coronatione Ferdin. IV. & aliis, quis hæc officia supplebit, an legatus absentis vel Vicemarschallus, Vicecamerarius &c.*

In coronatione Carol. V. cum inter legatum Regis Boh. & subofficiarium pincernam de Limburg, lis orta esset, pro vice-pincerna pronunciatum, & ita in Electione Ferd. III. Comes de Hohen-Zolleren/non verò Brandenburgici Legatus sub-Camerarij munus exercuit: Ita etiam factum in coronatione Matth. & Rudolphi. Quod si verò contingat, cum Electore etiam subofficiarium abesse, non legatus E.

sed ordinarius Curie Imperialis officarius hoc munus absentis expediet. *A. B. t. 16. §. Darnach. ibi. So sollen.* Et ita in Coronatione Ferdin. IV. Baro de Pappenheim in avenæ acervum equitavit. Et sic feliciter peractã Electione & Coronatione tandem conventus finitur & dissolvitur, ac Imperator nec non EE. eorumque Nuncij post mutuas valedictiones cum suis quisque comitatu discedunt, & ad suas stationes redeunt, quibus salvus conductus præstandus est, *A. B. t. 1. qui aliis ad eundem datus etiam redeundi facultatem continet, arg. l. 5. de sepulch. viol. l. si venditor. 10. ff. de Relig. l. 53. §. 1. de act. empt. l. 40. §. 1. de contrah. empt. Geil. 2. de pac. pub. c. 11 n. 8.*

Coronidis loco hoc annectendum, ³⁶ quia naturale est rem eo modo solvi quo constituta est. *l. nihil tam naturale. de R. I.* ita resignationem Imperij fieri conerariis iisdem modis, quibus electio facta est, scilicet per redditionem insignium. Et ita etiam apud externos fieri docet hodierna praxis. Postquam Regina Sueciæ Christina more recepto clausã coronã depositã, Carolus autem Gustavus designatus Rex apertã coronã insignitus fuit, † An. 1654. 6. Junij novo stylo, seu 27. Maji veteri, Regina regno Sueciæ renunciavit, ipsa insignia regni deposuit; Imprimis Coronam Comiti Petro de Brache Regni, ut vocant, Drossardo, & alia aliis constitutis regni proceribus tradidit, nempe Gladium, Sceptrum, Pomum, Clavem, Regium habitum, quæ omnia in speciali mensa apud designatum Regem ³⁷

gem Carolum Gustavum deposita sunt. Deinde resignatione peractâ novus Rex in Ecclesia Archiepiscopali ab Archiepiscopo Upsalensi adhibitis consuetis ceremoniis coram summo altari unctus, & clausâ coronâ insignitus est, qui etiam moribus nostri Imperij, &

alibi receptis in loco ac throno editiori consueta præstitit Juramenta, ipsique vicissim fidelitas jurata est, indeque Rex ex templo ad arcem reductus, sparsis aureis & argenteis numismatibus quibus hæc erant inscripta: A DEO ET CHRISTINA.



CAPUT XI.

De Juribus reservatis & Regalibus Imperatori competentibus.

SUMMARI A.

1. Nervi Reip. pecunia, ex reservatis & regalibus dependet.
2. Regalia unde dicantur?
3. Quomodo definiantur?
4. Declaratio definit.
5. Diviso & Subdiviso.
6. Primum reservatum: Eccles. Preces primaria.
7. Cur ita dicta? earumque formula.
8. Unde Imp. jus Precum competat?
9. An consuetudo Precum de jure valeat?
10. An laicis jus nominandi competat?
11. An sola consuetudo jus hoc tribuat?
12. A quo tempore jus hoc usurpatum?
13. An Imp. Preces competant in territorio Principis Augustani?
14. An Preces favorab. vel odiosa?
15. An Imp. nominationem alteri concedere possit?
16. An non nominando jure excidat?
17. An Imperator variare possit?
18. Quis ex nominatis duobus potior?
19. Quid si duo Precista de eadem data concurrant?
20. Quid si unus nominatus sit à Casare, alter ab ejus Commissario?
21. Quid si Preces non sint fortæ effectum, an Imp. alium nominare possit?
22. Quid si benef. fiat litigiosum & interim moriatur Precista?
23. Quid si gratia facta à Casare verbo, an à successore expeditio fieri potest?
24. An Casar possit mutare naturam beneficii?
25. An concedere potest ante Confirm. Papa?
26. An Papa concessionem revocare potest?
27. An Casar nominationi adungere potest conditionem?
28. Cur non habeant vim in aliis Regnis, an locus erit Precibus si collator extra Imp. moratur, beneficia tamen sint in Imperio?